

Mexicanus, Patriam in Michoacanensi fortitus Provincia, gradumque Bachalaureatus tum in Philosophia, tum etiam in Sacra Theologia in Mexicana Universitate; typis dedit, quam è suggestu recitaverat.

Orationem in funere Elisabethæ Borboniæ, Hispaniarum Regina, habitam in Alma Vallisolerana Cathedrali Ecclesia. Mexici, apud Joannem Ruiz 1645. in quarto.

29 M. FR. ALPHONSUS DE LA BARRERA, Natione Mexicanus, Clarissimis stirpe genitoribus, ære locupletibus, Mexici natus est. In Sacro Prædicatorum Ordine solemni professus ritu, quas optime didicerat, è Cathedra tradidit Religiosis Alumnis, Philosophiam atque Theologiam, Magisterij sub inde gradum meritò adeptus. In Regia Universitate Mexicæ Doctoralem Theosophiæ lauream non sine Academicorum laude promeruit, ejusdemque Rector omnibus in ipsum suffragijs abeuntibus renunciatus fuit 10. Novembris 1665. Nec prætereundum quantifit habitus, quòd in hisce Comitij Academicis prælatus etiam fuerit eximio cæteroquin Mexicano, & omni quidem laude maiore, FR. ANTONIO DE MONRROY, postmodum totius Prædicatorum Ordinis Generali Magistro, Archiepiscopoque Compostellano, qui secundo post Alphonsum loco Electoribus fuerat datus, ut caput sibi Senatuique suo ex illis unum calculis destinarent. Magistratu

perfunctus, egregie benemeritus de Academia, multis alijs auctoria honoribus, demandata sibi negotia industrie peregit. A germana sorore Elisabetha ultima executor voluntatis supremis tabulis destinatus unà cù fratre, viro etiam doctissimo, HIERONYMO DE LA BARRERA, Theologiæ Magistro, Ordinis Beatissimæ Virginis de Mercede, commissum sibi officium implevit strenuè. Fœmina illa fuerat multis insignis dotibus, in primisque virtute præclara, junctâ conjungio viro æque nobili ac pio SIMONI DE HARO, Cœnobium cù ipso unà condiderat verè amplissimum, & quòd Mexicana inter omnia primatum tenet conceptæ sine labe Deigenitricis nomine insigne, quam ardentissime deperibat: Ut verò haud segniter ferebatur in civem suum BEATUM PHILIPPUM A JESU, Martyrij corona illustrem, strictioris Observantiæ Seraphici Ordinis professorem, Mexicanæque Urbis Apostolica Authoritate Patronum; huic Monasterium voluit esse devorum, quod in proprijs ædibus, ære præterea suo, fabricari constituit, Capuccinisque Virginitus tradi. His Alphonfus intentus, advectas ex Hispania anno 1665. ut exciperet, in Portum Vera Crucis iter instituit, comitem se illis præbuit, & constitutas Mexici operâ, consilio, omnibusque juvit officijs, curas suas & cogitationes operi impendens pijsimo, Cœnobioque construendo, quod

&

& Patriæ & Regno, in quo deinceps Institutum istiusmodi propagatum fuit ac diffusum, decori esset eximio, opimosque sanctitatis fructus daturum, ut subinde egregie de publico meritis fuerit Noster. Apud S. Inquisitionis Tribunal Ordinarij Judicis pro Jucatanensi Episcopo munere ornatus, inter Censores etiam, qui Theologi probatissimi sunt, adscriptus, Fidei Quæstoribus cum primis acceptus, utriusque officij partes explevit. Integerrimo itidem Senatu eodem justa solemnissime persolvente Magno Hispaniarum Regi Philippo IV. jussu dicere è suggestu paruit, deditque

Concionem funebrem,

quæ impressa habetur Mexici in Typographiâ, quâ pro secretioribus schedulis id temporis utebatur Inquisitio Mexicæ, Joannis Ruiz anno 1667. in quarto, cù alijs ejusdem funebris apparatus opusculis.

30 Graviora Alphonfi monumenta Theologica & Philosophica temporum injuria periire, nisi latent in scrinijs vel tabularijs nobis ignotis. Laudat ipsum Illustrissimus Præful Mexicanus D. D. MATHEUS ZAGADE BUGUIERO in Litteris ad Cardinalem de Aragon datis, quas unà cum Monumentis alijs Cœnobij Capuccinarum legimus in Libro erectionis ejusdem apud ipsas de more servato. Meminit item Nostri Plaza in Chronicis Universitatis lib. 5. n. 90. Itemque P. Fr. Ignatius de la Peña, Franciscanus, in Thro-

monio

no Mexicano part. 1. cap. 2. pag. 7. & cap. 10. pag. 37.

31 ILLMUS. D. F. ALPHONSUS DE BENAVIDES, Natione Mexicanus, an Hispanus, scire adhuc non potuimus, S. Francisci Regulam in Provincia Sancti Evangelij sequutus, varijsque distentus officijs, Custos, ut dicitur, in Novam Mexicum destinatus, Regionem illam à veteri Mexico, Primaria America Septentrionalis Urbe, quadringentas non minus leucas distantem invisit. Superior ut erat exactus, cùm Religiosis viris in Colonijs dispersis, Indorumque conversionem procurantibus, ipsis tum etiam, & paganis, & cathecumenis, & christianis invigilabat. Crescebat id temporis res christiana adventantibus Barbaris alijs, Xumanis dictis, quas multæ brevi Nationes sunt imitata, Magistros petentibus, qui ipsos Legem Christi docerent, sacroque lavacro recrearent: Quòd scilicet honestissimam se vidisse audisseque Virginem affirmarent, eadem indutam veste, qua illi ipsi utebantur Religiosi quibus cùm loquebantur, hortantem monentemque ita agere, si felicitati consulere sibi perpetuè vellent. Porro missis illuc à Superiori Religiosis, ut deprecatores avebant, è voto successisse gratulati sunt per brevi & sibi & Indis, quorum plurimos christianis rudimentis instructos salutaribus Baptismi aquis ablucunt, alios autem, corpore languidos, facto Crucis signo, cœlestissimo pharmaco, infirmi-

G 2

tati-

tatibus liberarunt, ut Author est Betancurrius in Theatro Mexicano 4. part. tom. 3. cap. 3. & 4. 32. Interea Noster veterem, Superiorum jussu, Mexicum repetens, in Hispaniam mittitur gravissima acturus negotia, & in primis illa, quæ nuper detectæ Novæ Mexici incrementis in Fide congruebant: Digressus parumper in Graccarim, seu Agredam Villam, Virginem salutavit Abbatissam Monasterij Franciscanarum MARIAM A JESU, cujus egregiæ fama Sanctitatis jam tunc maxime percubuerat, nec antiquam solum, verum Novam etiam Hispaniam pervaserat: à qua tandem Virgine didicit Ipsam illam esse, quæ Xumanas prolem monuerat Indos, Deo sic volente, uti Ecclesiæ Catholicæ aggregari curarent, petitis, qui eos intruere, Ministris, si fidēs habenda cum alijs, tum etiam citato nuper Betancurrio, à quo simul accepimus, nostrum Alphonsum Archiepiscopum Goanum apud Orientis Indos inauguratum fuisse, junctā scilicet tuncusque Hispaniæ Lusitaniæ, rerumque potente Catholico Rege cum Occidentalium Indiarum, tum etiam Orientalium, quarum caput est Goa, Urbs quidem amplissima ornatissimaque. Alphonsus obtulit Magno Regi N. Philippo IV. supplicem Libellum hispanice scriptum, postea à JOANNE GRANEDONC, Franciscani etiam Professore Instituti, largium factum, editumque Salisburgi anno 1634. in 8. Nempe

Enarrationem de magnis Theauris spiritualibus & temporalibus Deo adjuvante in Nova Mexico detectis. Martiri in Tipographia Regia, anno 1630. in quarto. Meminit Authoris & Operis hujus Antonius de Leon Pinelo in Epitome aucto Martiri 1738. tom. 2. col. 609. ubi notat, Geographiam Novi Mexici ab Alphonsio hic traditam in compendium reductam à Laet lib. 6. cap. finali. Opus etiam & Authorem refert NICOLAUS ANTONIUS in Bibliothecā Hispaniæ Novæ p. 10. Edidisse præterea Nostrium *Libellum alium supplicem ad Regem nomine admodum R. P. Petri de Santander Indiarum Comissarij generalis*, 1630. Author est citatus Pinelus eodem tom. 2. col. 792.

Item scripsit Idiomate Hispano, *Epistolam ad Missionarios Ordinis in Mexicana Conversione S. Pauli missam.* Martiri anno 1631. in octavo:

Quam & JOANNES A SANCTO ANTONIO in Bibliothecā Franciscana tom. 3. inter Appendices memorat, & perdoctus Capuccinus P. ECUIA affert in Libro, cui titulum dedit: *Murus inexpugnabilis Mystica Civitatis Dei*, cap. 12. fundamento 12. & PINELUS citato supra tom. col. 915. qui monet asservari Manuscriptam in fol. in Bibliothecā Barciæ.

33. P. ALPHONSUS BONIFACIUS, Natione Italus, Mexicanus Domicilio, in Provinciā Societatis SESU Novæ Hispaniæ cooptatus, solemnī Professione quatuor vo-

torum

torum clarus, ministerijsque ejusdem Instituti deditus multis, cum Rectorem ageret Maximi Collegij SS. AA. Petri & Pauli Mexici, Hispaniam edidit Epistolam *Encyclicam ad Socios de obitu, virtutibus, ministerijsque P. Petri Joannis Castini.* Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1664. in quarto.

34. ALPHONSUS BONILLA, Natione Hispanus, Beaciæ in Batavica natus, Mexicanus adscriptus Domicilio, publica fecit vernaculo sermone *Carmina in honorem conceptæ, sine crimine Deiparentis.* Mexici in Typographia Joannis Ruiz 1653. in quarto.

35. IELMUS. D. M. D. FR. ALPHONSUS BRAVO DE LAGUNAS, Episcopus Nicaraguenfis, Natione Mexicanus, apud Tepeacām, Diocesis Angelopolitana Urbem, nobilibus parentibus ortus, Ordinem Sancti Francisci in Conventu Mexico 28. Martij anno 1619. professus fuit, postquam Universitatis Gymnasia diu frequentaverat, à quibus Philosophiam, Theologiam, & Canonicum jus imbiberat, laureasque reportaverat, Cathedris admotus regendis, primum Aristotelica placita triennio juxta Scoti mentem illustrata discipulis obtulit, mox duodecim annis in tradenda Theologia insudavit, atque Emeriti Lectoris gradum pro laboribus tenuit. *Magister* eæ ætate pro eruditione audiebat egre-

giā, plurimique à doctissimis & gravissimis viris ducebatur. Mexici Pro-Reges majoris negotia momenti ad illum referre solebant, Quæstioresque Fidei Censoris insignitum honore audire amabant. Porro in oratoria facultate & sacris exponendis literis celebris erat, proque solemnioribus festis Ecclesiastem ut agebat curabatur. Mexici Conobio non semel præfectus, alijsque bis Definitorum egre Provincia suar, cui in delicijs erat ab egregio disciplina regularis tenenda zelosus, & à religiosis moribus, quæ exemplari præbebat. Anno 1665 Pontifex Nicaraguenfis electus, Goatemalaque consecratus, pastoralis statim incubuit officio, Diocesumque lustrandam susceptus, prius verò quam totam circumiret Provinciam, mortem oppetiit, cuius corpus Granatæ Nicaraguenfium conditum, biennio post integrum est repertum, quod tamen anno 1686. Anglis prædonibus locum invadentibus, Templumque Cathedrale impie crematibus Fera V. in Cæna Domini, in cineres abiit. Abijisse quoque scripta ejus facile crederemus fugientes nos, ni spes esset forsitan à Sodalibus custodiri. Quæ super sunt nomina traditione, indicata re non piget.

Cursus Philosophicus ad mentem Scoti.
Tractatus Theologici ad ejusdem subtilissimi Doctoris mentem instructi.
Supra Conciones multæ.

H

Con-

Consulta varia.
Ejus meminit BETANCURTIUS, in *Tractatu de Illustrissimis Provincia S. Evangelij Episcopis* post *Mnologium* pag. 136. num. 7.

+ 36 ILLMUS. D. D. FR. ALPHONSUS BRIZEÑO, Natione Peruanus, in America natus Meridionali, insigni Urbe Chilensi, Domicilio Mexicanus, 19. ætatis anno Ordinem Minorum Lima (quæ Peruanis Civitas est Primaria multisque nominibus Regia) amplexatus est professione. In Philosophicis & Theologicis non tinctus modò, sed imbutus, Lector utriusque Facultatis, alios inter benemeritos istiusmodi p̄citores honoris, electus, quindecim totis annis expletis in docendi munere, Emeritus jure habitus est, tanti que à sapientibus factus, ut Secundus audierit Scotus. Collegijs, Cœnobijsque multis præfectus, Provincias visitavit non nullas magno ubique Fidei & Religionis incremento, quòd curæ ipsi esset in primis, ut subditi sibi Religiosi Indorum salutem attentissimè quærerent. In Europam à Provincia sua delegatus S. Francisci Solani Canonizationis Causâ Procurator eximus, & pro Comitij Generalibus suffragator, Romæ gloriam apud Litteratos promeruit insignem, ubi Præsidem egit Scholasticæ Concertationis, speciemque obtulit egregiæ sapientiæ coram gravissimis, qui aderant, ex omnibus Ordinibus viris. Matricum reversus, inibique

ex meritis notus, à Rege Catholico Philippo IV. pro Episcopatu Nicaraguensi in America Septentrionali præsentatus, Bullis ab Innocentio X. Pontifice Maximo acceptis, sancteque inauguratus, Ecclesiam illam, qua decet vigilantissimum Pastorem diligentiam, rexit, quousque in eam quæ de Caracas dicitur, translatus, huic moderandæ totus incubuit. Ejus fecere, non sine magna laude, memoriam AEGIDIUS GONZALEZ DAVILA in *Theat. Ecclesiæ Nicaragua*, UVADINGUS, verbo ILDEFONSUS, ALVA in *Militia pro Immaculata* col. 676. NICOLAUS ANTONIUS in *Appendice altera ad Bibliothecam Hispaniæ Novam* pag. 315. Et JOANNES A S. ANTONIO in *Bibliothecâ Franciscana* tom. 1. p. 39. scripsit

Celebriores controversias in primum Sententiarum Scoti, admixtis potissimum dissertationibus Metaphysicis, tomis duobus in fol. Matrini ex Typographia Regia anno 1638.

Apologiam de vita & doctrina Joannis Scoti Doctoris Subtilis, ac B. Amadæi. Ibidem, in tomo 1.

+ 37 P. ALPHONSUS CALVO, Natione Hispanus, Mexicanus Domicilio, Societatis JESU Novæ Hispaniæ Provinciam adlegit, & quatuor Deo vota nuncupavit: Collegio S. Gregorij Mexico Rector datus, excolendis pro instituti ratione formandisque ad omnem virtutem Indis, cum viris, tum fœminis in Templum, eorundem potissimum usui destinatum,

con-

confluentibus, se dedit; optime que meriti de eisdem Indis, deque Familiæ sanctissimis Institutis, Socij vita sancti Encyclicam scripsit sermone hispano

Epistolam de religiosa vite ratione, exaltantis laboribus, felicitique morte P. Josephi Maria de Guevara. Mexici Typis Josephi Bernardi de Hogal 1727. in quarto.

+ 38 FR. ALPHONSUS CAMACHO, Natione, ut videtur, Mexicanus, ortusque Goaxacæ, ibidem Ordini Prædicatorum in Provincia S. Hippolyti Martyris nomen dedit, solemnique more professus est 25. Februarij anni 1604. Studijs exactis, initiatusque Sacerdotio, totum se Indorum doctrinæ salutique mancipavit. Uti eminentissimus in Idiome erat Zaapotēcano, Magistrum ejusdem utilissime egit, nec tantum verbis, sed scriptis etiam cum illius Nationis Indos, tum eorundem Parochos & Ministros egregie juvit, concinnato doctè juxta pieque Libro, cui titulum dedit hispanum, cæteris omnibus Zaapotēcaram pro suo instituto linguâ conscriptis: Ita habet latine:

Tractatus de septem Sacramentis Zaapotécano idioma: cujus usus in Valle Goaxacæ.

Hoc in Opere pharmaca pro animarum salutè præsentissima exhibet octo, Sacramentorum septem tractationi Dissertationem de Verbo Dei utilissimam jungens, quo de agit in præmio, fuso satis sermone. Agebat in vivis an-

no 1635. Liber autem Mss. anno 1746. usui erat P. Dominico Saens de Miera, ejusdem Provincia Alumno, Indorumque memoratæ Nationis Parocho, pro ut habemus in Scriptorum Catalogo ab humanissimis ac Religiosissimis Dominicanis Patribus Goaxaccensibus ad nos misso.

+ 39 ALPHONSUS CARRILLO DE ALBORNOS, ET GUZMÁN, Natione, nisi fallimur, Mexicanus & Patria, Baccalariusque in Scholis Mexicis, scripsit hispanis numeris

Poeticam enarrationem solemnissimæ pompæ, qua illustris Mexicana Civitas miraculis insignem Imaginem Deiparæ, sub titulo de Remedjs, excepit, è Sanctuario suo in Basilicam Metropolitanam deductam. Mexici, Prælo Hæredum Joannis Ruiz 1678. in quarto.

40 M. FR. ALPHONSUS DEL CASTILLO, Natione Mexicanus, Goaxaccensis Patria, Clarissimo Prædicatorum Ordinis Conditore se filium dedit in Provincia S. Hippolyti Martyris, quæ in tota Diocesi Antequerenfî religiosissima viget atque doctissima. Inibi Philosophiam ita excoluit atque Theologiam, ut docere ipsam postea valuerit, Lectorque tot annis tradiderit, quanti pro obtinenda Magisterij lauræ Ordinis statuta præscribunt. Eidem præfectus Provinciæ superioris munus non absque laude gessit. Quod autem eximio adversus Parentem Sanctissimum Dominicum suum

suam flagrare amore, nec seignius in Deiparentem Virginem involaret, hujus ut religionem & illius additis stimulis vehementius incenderet, publicæ luci dedit vernaculo Idiomate

Conciones duas: alteram habitam in solenni collocaione Imaginis S. Dominici, Soriani dictis: alteram de Beatissima Dei Matre: utramque Formis Bernardi Calderon, Mexici 1636. in quarto. Habemus eas inter collectas à nobis in quarto tom. 113.

41 FR. ALPHONSUS DEL CASTILLO, Natione Hispanus, Domicilio Mexicanus, quod è Provincia Angelorum Ordinis Seraphici, non dum sacris initiatus, in Collegium Goatemalense de Propaganda Fide, Christo Domino Crucifixo devotum, migraverit, juvandarum zelo animarum, quas Apostolici Instituti profectores illius & similium Collegij toto nisu nullique parentes labori, non modo Fideles inter, verum inter Paganos ipsos perquirunt, Tomum in folio Mss reliquit hispano, sermone continentem

Consultationes Morales varias: Apologiam pro Privilegijs Missionariorum de Propaganda Fide.

Authographa servantur in Bibliothecâ ejusdem Collegij.

42 ILLMUS. D. M. D. FR. ALPHONSUS DE CASTRO, Natione Mexicanus & Patria, electus Episcopus Ecclesiæ à Conceptione, Chilenis dictæ, apud Americam Meridionalem anno 1637.

Ordinem S. Augustini in Conventu Mexico profectus fuerat, apud quæ Magistri in Sacra Theologia lauream retulerat, postquam Philosophiam tradiderat & Theologia. In Europam, Provinciâ suâ jubente, profectus, cum in Hispania, tum etiam Romæ multi habitus à virtutum & literarum ornamentis eximjis, Assistentis pro Hispaniâ munus in Familia pri-marium coram generali Prefecto prudentissime gessit, indeque à Catholico Rege Pontifex, ut diximus, in Peruvia destinatus regna, sacris præ humilitate infusus, reluctatus, de Ordine suo benemereri ad mortem usque voluit, Scripsit

Philosophiæ Cursum,

Tractatus Theologicos varios,
Quorum præter memoriam habemus nihil.

Meminere ejus ÆGIDIUS GONZALEZ DAVILA, in Theat. dictæ Eccles. Concep. Chilenis fol. 89. col. 1. SALINAS, Franciscanus, in Memoriali suo fol. 110. n. 189. & BASALENQUE, in Chron. Provinciæ Michoacanensis Augustiniana.

43 P. ALPHONSUS DE CASTRO, Natione Hispanus, ortus Toleti, Domicilio Mexicanus, Societatis JESU Instituta suscepit, nuncupatisque quatuor Deo votis, Theologiam Scholasticam Oceanicâ cum P. GABRIELE VASQUEZ, Doctore celeberrimo atque gravissimo, profectus est, & Mora-

lem

lem multis annis explicuit, ut verbis utamur Bibliothecæ ejusdem Societatis. Hispanensem Profectorum postquam rexerat Domum, Novæ Hispaniæ Provinciam perijt, cui etiam Præpositus datus est. In pristinam reductus, eodemque apud ipsam auctus honore, Hispali ad Episcopum Pacis Julia, negotijs maximi utique momenti ita suadentibus, iter arripuit, ex quo laborare cœpit morbo, cui brevi succubuit, exactis que 69. ætatis suæ annis, virtutibus clarus in Collegio Fregalensis ad multos abiit. Reliquit in Schedulis tornatum optime Commentarium

In Constitutionem Clementis VIII. de Largitione munerum utriusque sexus Regularibus interdictâ.

Opuscula ad Moralem spectantia Theologiam varia non ad finem usque ducta elaborasse citatæ Bibliothecæ Societatis Author testatur.

44 D. ALPHONSUS CHICO DE MOLINA, Natione Hispanus, cujus incomperta nobis est Patria, Mexicanum adeptus est Domicilium, & Metropolitanæ Decanatum Ecclesiæ non multo post ejusdem constitutionem: Nec diu ab erectâ Universitate Mexicanensi, decennio nempe, ejus in Theologia Doctoribus atque in Philosophia Magistris cooptatus est, quarum infuis Facultatibus in Academia Seguntina redimitus fuerat jam pridem. ILLMO. D. D. FR. PETRO DE LA PEÑA, Dominicanico, qui primus Antecessor Pri-

marie Theologiæ Cathedræ fuerat, in Hispaniam abeunti, successus, Cathedram ipsam moderatus est triennio, quod dein negotijs ab Archipræsule ipsi commissis distentus, quotidianis adesse prælectionibus se non posse videret; & quod mox ipse quoque navigare ad Hispanos opus habuerit, Quas elucubravit Theologicas pro auditoribus Disputationes hæcenus nos fugerunt, invenitur tamen in Bibliothecâ Congregationis Oratorij Mexicanensis tom. 1. variorum Opusculorum Mss in folio, sermone vernaculo

Judicium de famularu Indorum & operâ.

Meminit Authoris Plaza in Chronicis Universitatis Lib. 1. c. 3. num. 10. & cap. 20. n. 177.

45 P. ALPHONSUS CORONEL, Natione Mexicanus & Patria, Societatis JESU, Rhetoricæ Professor in Maximo SS. AA. Petri & Pauli Collegio, scripsit

Concertationem poeticam in Natalitijs festis Jesu Domini sub jovis Schemate.

Extat in primo ex tribus hujus argumenti Libris in Bibliothecâ ejusdem Collegij ad annum 1677.

46 ILLMUS. D. D. D. ALPHONSUS DE CUEVAS DAVALOS, Natione Mexicanus & Patria, natus est die S. Catharinæ Virginis & Martyri sacra, anno 1590, Parentibus sanguine & stirpe clarissimis, Alphonso item de Cuevas, & Anna Davalos: Genitor origi-

ncm

nem ad EDONEM usque Cantabrigiæ Ducem, inclytæque Domus conditorem repebat: Mater nihilo inferior nobilitate viro, in LUPECIOVELA Aragoniæ Infante, SANCTI RAMIREZ hujus nominis primi, Aragoniorum Regum secundi, filio radicem generis habebat eximij. Avitis stemmatibus proprias uterque adjunxit virtutes, quas cum opes haud exigua comitarentur, magni semper habitus fuere, Familiaque insignis Primarias inter Mexicanas adscripta est omnium ordinum consensione. Nortur optime educatus à teneris, christianos imbibit altissime mores, quos adultus multo coluit diligentius, Sanctorum vestigijs insulens, uti perfectionis teneret verticem. Prius imò quam à Parentibus hæc audire valuerit, præventus à Deo, eximium se virtute futurum portendere visus est: nam triennis ecclesiastici formam jejunijs ferijs secunda, quarta, & sexta servabat. Sexto ætatis anno charismata cœlitus accepit egregia, altissimâ ex tunc infusâ divæ contemplatione, orationisque spiritu eximio, quem deinceps mirabiliter augens, Magistrum ejus egit insignem praxi theoreticam jungens. Decimum haud egressus annum, Servatorem nostrum pulcherrimi specie perspexit, singulisque diebus per annum integrum, qua illum horâ suspexerat adveniente, ardebat amore, miraque spiritus suavitate perfundebatur.

47 Grammaticam, Rhetoricâ, Philosophiam postquam, primos inter socios numeratus, addidit in Collegio Maximo SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU à Magistris cultissimis, Academicam que laurum emeruit, Theologiæ studium totis nervis arripuit, summatisque ab Scholis præscriptis curriculum, abstinerere ab eisdem infulis constituerat, unique Deo vacare, quæ mundi sunt cumque despiciens; obstitit tamen Religiosus vir, ut videretur, ignotus, qui cum monendi gratia Dei nomine domum ingressus, iussit, uti Doctoratus insignia caperetur, sciretque hac Deo via pro ipsius beneplacito obsequiturum. Itaque inter Alumnos Collegij Majoris Divæ MARIE & omnium Sanctorum adscriptus, prolationibus, rigidioribusque examinibus præcedentibus, quæ Universitas Mexicana candidatis præscribit, Doctor in Sacra Theologiæ Facultate fuit creatus. Rector etiam ejusdem in Academicis Comitibus anni 1632. electus, strenue functus est munere amplissimo, & postmodum anno 1655. Pro-Cancellarius datus, haud exacte minus id honoris obivit insignis.

48 Eo ferme tempore quo Doctoris lauream fuit assequutus, laborabar gravi & diuturna oppressus ægritudine Primarius Theologiæ Antecessor ALPHONSUS MUÑOZ, vir clarissimus, Rectorisque Academici jussu Noster professionem illam suscepit, fereque se-

xennio Cathedram moderatus Primariam, auditorum utilitati, quibus erat præditus litteris & virtutibus, exacte prospexit. Fato ubi concessit Alphonso Muñoz, alios inter Cathedræ petitores Noster comparuit, atque ut auspicator Prælectionem de more haberet, prius exorandum sibi duxit Supremum Numen. Florebat eo tempore Mexici eximie fama Sanctitatis probatissima Virgo AGNES CRUCE, cum à multis alijs emunctæ naris hominibus, tum à PP. GODINES ET FIGUERA, Mystica Theologiæ luminaribus fulgentissimis, plurimi habita, quæ à Regali de JESU & MARIA Monasterio, ubi Regulam, quam Conceptionis dicunt, professâ fuerat, in Fundatricem Cœnobij Carmelitarum primi Mexici Superiorum autoritate translata fuit, pro ut eruditissimus noster CAROLUS DE SIGUENZA, in *Paradiso Occidentali*, seu Historia politissima Monasterij de JESU MARIA mox insinuati, longe habet: Hanc Alphonso Virginem enixe rogavit, ut pro Cathedræ, quam petebat, negotio preces ad Deum funderet: Tum verò illa deprecatorum monuit uti Breviarium, quod habebat præ manibus, aperiret, ceu is qui ornandæ Prælectioni oblatam forte requirit materia: Paruit ille, & semel, atque iterum, & iterum forte aperto volumine sacro, Evangelica semper illa verba succurrunt à Servatore nostro prolata: *Ego sum Pastor bonus & cognosco*

oves meas. Scilicet, intulit protinus multo afflata lumine Agnes, reposuitque Alphonso: Episcopum, non Antecessorem Academicum destinavit Te Deus. Et porro non prælagisse rem, sed oculis lustrasse eventus docuit. Noster siquidem morbo præditus apoplectico simili, pedem referre ab instituto petitionis itinere coactus, ad majora servatus est.

49 Interâ vita functo FRANCISCO LOZA, viro multis ornatissimo dotibus, qui quondâ V. GREGORIO LUPECIO comes fuerat, & primus Theresianis Monialibus datus à Sacris Confessionibus, cum is quoque qui ei successerat in eomunere brevi diem obierit postremam; Noster in ejusdem, reluctans licet & invitus, suffectus est locum. Quod enim memorata superius Agnes Monasterium regeret, & re sua judicans Confessarium multis à Deo precibus exorare, qui Religiosarum Virginum instructioni profectuique in virtutibus aptior esset futurus; tandiu institit orationi, quo usque à Deo accepit, unum ad id officij destinatum à se esse Alphonsum. Hunc illa protinus per Epistolam requisivit, obtestataque est multis, uti vellet sese institutendis Virginibus Carmelitis addicere. Ut ille tamen humilissimus erat, tanto se imparem oneri esse respondit, alia que cogitare.

50 Superiores pro inde Agnes convenit, qui cum Alphonso agerent, ut ejusdem obtemperaret sup-

plicationi. Frustra tamen illis conāribus, ventum est ad prodigia. Nam oranti Alphonso de more, quadam nocte visa est Sanctimonialis Carmelitanis induta vestibus ingredi conclave, auditaque petere, ut Theresianum adiret Cœnobium. Obstupuit Alphonsus, pollicitus que est se Monialibus sistere non tardius quam postera die. Dictis ut staret, mane sequenti egreditur ē domo, petiturus rectā, ut decreverat, Theresianam. In itinere verò obniti adeo repugnareque cepit, ut mutato consilio in Academia icrit ē suggestu, cui, ut dictum est, præerat, Theologiam auditoribus traditurus. Rursus cū assuetis meditationibus nocturno, quod excepit diem hanc, constituto sibi vacaret tempore, ecce Carmelitana Fœmina iterum illi sistitur, loquitur, conqueritur, graviorique aspectu quod pridem postulaverat deprecatur. Stupore correptus, & suavi, quam etiam præcedenti senserat nocte, fragrantia perfusus, denuo fidem adstringit uti proxime nascituro Sole ædes Monialium adeat. Aditurus tempestive pergere inceperat, destitit tamen, ut fecerat pridie, haud minore prelus difficultate, atque in Aulam Academiae se contulit. Vix ascenderat Cathedralam, & ignotus sibi juvenis proxime illam accedens, urbanissime sciscitatur, Quid causā sit ut Carmelitarum iteratā Virgum petioni tam se difficilem præstitit, & adhuc subtraxerit. Hæc

ubi Alphonsus excepit, continuū ē Suggestu desiliit, & Monasterium petijt, ejus ad loculatam Rotam Agnerem præstolantem ipsum invenit; atque ei sociisque consilio juvandis, Sacramentis fovendis, & omnibus religiosis officijs instituendis se dedit, magno eorumdem compendio, quoad, Deo illum ad Episcopalem apicem vocante, sedem unā solumque mutavit.

51 Angelopolim, Urbē amplissimam, eo consilio petijt, ut candidatum ageret Sacerdotij, quod *Magistrale* dicunt, erudicendisque Fidelibus ē pulpito in Ecclesijs Cathedralibus est destinatum. Probatus ad id muneri ab Illmo. ornatissimoque Capitulo, propositus que, ut moris est, unā cum duobus alijs etiam in Theologia Doctoribus, multis & ipsi titulis clari, Catholico Regi nostro, cujus est ē petitoribus unum eligere, destinatus tandem & institutus, ut doctissimus erat, & in adhortando populos fervētissimus, Concionatoris partes omnes implevit, Canonicosque inter multum effulsit. Dein honoribus auctus, à Thesauris fuit ejusdem Ecclesie, postmodum Archidiaconus constitutus, donec in Metropolitanam advectus Regiā jussione, Decanatus dignitate, quæ omnium post Pontificalem primas tenet, pro eximijs meritis fuit potius. Quod verò hæc altius illum evehendum peterent suapte, pro Ecclesia Nicaraguæ Præsul designatus à Rege

ge fuit, cui tamē se honori subtraxit, nec multo post cedere coactus iteratā in Episcopale culmen vocationi, Goaxacentes infulas demum suscepit, egregio vastissima illius Diœcesis commodo: In eam siquidem ut se contulit, Pastoris officia vigilantissimi omnia quam dici potest cumulatus perfecit: nam, ut prætereamus alia quæ verbo & exemplo quotidie experientibus erant profectui juxta & admirationi, maxima enim verò digna est cōmendatione accuratissima hominis diligentia in asperrima supra fidem Provinciā annis singulis visitandā: Sanè cunctatus nihil, inaccessos propemodum montes, præruptos colles, ambagibus difficillimas vias, obviaantia sæpe & tumentia flumina, nunc hæc nunc illac petebat, Indos perquirens, edocens, sacro Confirmationis chrismate inungens, eleemosynis juvans, ceterisque charitatis officijs, quibus etiam & Hispanos, & aliarum homines Nationum complectebatur, ut propterea Rex Catholicus conscius omnium factus à Comite de Baños, qui ejusdem in Nova Hispania vices agebat, Epistolam ad Nostrum scripserit datam Matrivi 30 Augusti anno 1673 grates illi rependens egregias pro navata strenuissime opera in arduo hocce munere, ejusdem zelum plurimi faciens, testatusque nullum se desimilibus dubitare.

52 Hæc aliaque gesta, cum pro Religione servandā, tum pro

Ecclesiasticā disciplinā à Parochijs, ceterisque Clericis, ut par est, habendā, conjunctaque zelo mansuetudo singularis, eximia comitas, & pacis studium insignis, facili negotio fecere, ut viduatæ Pastore Metropolitanæ Ecclesie Mexicæ Archiepiscopus fuerit datus, quod honoris fastigium nullus antea Mexici ortus conscenderat, nec porro hæcenus scandit, novercante plerumque fortunā, dignissimisque sæpe invidente. Redux in Patriam, possessionem nactus incredibili non gentilium modo suorum læritiā, sed quot quot illam incolebant cujusvis Nationis & conditionis hominum gaudio, quamvis totus fuerit in pascendo commisso sibi grege numerosissimo, mortem, quam non longe aut præcierat, aut opinabatur distitam, vigilantius opperiebatur.

53 Menses egerat novem in Mexicana sede, accedentēq; per vigilio Assumptæ in cœlum Virginis Deiparentis, cui addictissimus erat, proptereaque anniversarium festum Goaxacæ proprio are dotaverat; diem auspiciaturus à vesperis, dum hæc solemnissime, de more, cantarentur in Metropolitana, interesse decreverat: Capituloceterisque expectantibus, principio nunciatum convenire non posse, mox verò repentino correptum morbo Præsulem esse, cui quantocumque Eucharisticum pro Viatico Sacramentum deferretur, Delatum statim augustissimā pō-

pâ, extemporanea licet, ipsoque supplicationem comitante Pro-Rege, Excmô. Comite de Manzera, qui ut religiosissimus erat, & egregias Alphonfi virtutes agnoverat, ubi audivit ipsum languere, invisit protinus, genibus que positus veneratus discessit, reversurus, Divinissimumque pedes associaturus. Synaxi sacratissimâ devotissime sumptâ, proloqui & si ægerime posset Nolter, conatus est tamen haud paucis adstantes Capituli Alumnos cæteros que monere, ut pacem servarent, Deique promovendâ gloriâ studerent. Turbata præsto Civitas fuerat, cunctis proximam dilectissimi Antistitis mortem dolentibus, Superosque pro ejusdem incolumitate vocantibus. Morbus tamen crescens in dies depositum ægrum suadebat, desperatamque valetudinem, ut subinde Oleo inunctus extremo secunda Septembris inchoante, conflictari propius cum morte inceperit.

54. Aderat in Conventu S. Sebastiani Carmelitarum Excalceatorum PETRUS A S. ALBERTO, qui multas Familias gesserat Præfecturas, virtutibus conspicuus, multisque à Deo gratijs ornatus: Is matutinis precibus de more solutis, Chorum egrediens, Superiorem alloquens, instare inquit tempus Archipræsulem adjuvandi in agone supremo, cui non semel adstiterat decumbenti: jussus à Prælato socium sibi adiscere, peregreque in Archiepiscopi ædes,

ubi ad illas accessit, alijs, qui aderant, Sacerdotibus comes datus, statutisque ab Ecclesia orationibus dictis, videre sibi visus est Alphonsum, multis stipatum Angelis alijsque Cœlitibus, per latissimè patentem campum incedere, pluribus hinc inde ordinatè pauperibus Deum pro illius valetudine ac vita orantibus: Substitère paulisper fulgentissimi comites, ac si expectarent progrediendum ne esset, an regrediendum: Alphonso tamen innuente ut procederent, extemplo perrexerè illi, & ipse in Dei manus, ejus unius optabat amplexus, spiritum posuit, hora paulo post quartam matutinâ, qua, ut pie creditur, aurora ei affulit numquâ interituri luminis nuntia, secunda Septembris anno Domini 1665, ætatis suæ septuagesimo quinto tribus ferme mensibus dempris.

55. Curatum ex arte moreque cadaver, quod, priusquam efferretur, triduo mansit expositum in Palatio, ut & confluentium multitudini fieret satis, optantium manus pedesque osculari dilectissimi Patris ac curatoris, & qua decet mora & solemnitate Sacra pro defuncti fierent anima, & à singulis Familijs Religiosis ex ordine venientibus, & à Clero & Capitulo Ecclesiastico solverentur officia maestissimo cantu, apparatusque spectabili atque magnifico. Multo tamen magnificentius quod demum clarum corpus fuit, concurrentibus tum Capitulo Clericis

cis ferme mille, ut multorum supplicatio tulit ea die: Clerum Religiosum si ex omnibus, quæ sunt Mexici, Ordinibus cætus frequentissimum, suam quisque præferens Crucem: Confessus Academicus Magistros, Doctores, Antecessores adferens omnes: Urbis Mexicana Rectores, Tribunalia quaque Regio instituta nomine, Regij Auditores atque Ministri, ipsique Pro-Rex functissimâ aque ac gravissimâ coronâ iusta dignissimo Antistiti per solventes sunt comitati. Novèdiali proxime celebrata à Capitulo, quod paratione instaurare decrevit 25 & 26 Octobris, iterum excitatâ mole funestâ, multis distincta luminibus, invitatisque qui nuper convenerant omnibus, ut sacris adessent, dicentesque è suggestu, vespere latino, mane hispano sermone, ut sit, doctissimos Oratores exciperent, IGNATIUM DE HOYOS, in Philosophiâ & Theologiâ Doctorem, ejusdemque Præbendam Ecclesiæ, & FRANCISCUM DE SILES, Canonicum, ut dicitur, Lectoralem, Vespertinumque Theologiæ Academicum Professore, è quorum typis datis Orationibus multa quæ hætenas de Nostro scripsimus, dabimusque deinceps, accepimus.

56. Porro & iij, & quos infra recensimus, quibus communis favor existimatio, egregias Alphonfi Virtutes commendant, quæ nascentis Ecclesiæ Patribus ipsum non ab similem indicant. Eximij à puero beneficijs præventus à

Deo, ut diximus, tyrocinia poenitentia ponere visus est, ea in tantula illa ætate modestiâ, ut incredibilis videretur, haud minorique in omnibus proficiendi virtutibus desiderio. Adultus, præter abstinentias communes, multoties pane solum contentus & aqua jejunabat. Quandoque rigidissimam totos septem dies subtinuit inediam. Sapissime patienti Scrivatori, feria sexta, gustato felle, aut aquæ vice aloë sumpto, libabat. Accedit, quod credi vix posset nisi gravissimis testibus probaretur, inigneque austeritatis est argumentum totum tres annos potum sic interdixisse sibi, ut nec aquam, nec vinum, nec, quæ est usitatissima nostratibus & quotidiana potio, chocolate gustaret: atque ut multo difficilior res esset, non semel, eeu laxandi animi gratia, Hortos ingresus, salientes destinatè intuebatur aquas, fontes videbat, idque genus alia, queis incitato appetitui vim multam inferret. Ter in die flagellis cædi, & sæpe usque ad effusionem cruoris, habuit solemne. Subucula ipsi frequentissime horridis hirsutis que setis contexta: adiciebat cilicia, quibus & brachia, & pedes, & lumbos præcingebat arctissime. Somnum in nuda tabula necessarium carpebat; atque, ut alia taceamus castigandi corporis instrumenta, quæ ipsi fuere usui, pedum ungues adeo crescere passus est, ut curvati digitos penetrarint, doloremque continuum induxerint.

rint. Sane, tot tantisque macerationibus corpus afflictum, squallidum, siccisque radicibus haud absumile videbatur. Sub inde haud mirum, egregiâ quod laude castitatis floruerit, instituendisque Virginibus à Deo mirabiliter destinatus, carnis illecebras fugerit, astutusque domestici ac fallacissimi hostis devicerit.

57 Orandi studium cum à puero coluerit egregie, ad ultimam usque duxit ætatem, statasque sibi horas pro cœlestium meditatione constanter servavit, à decima noctis usque ad undecimam, & à quarta ad quintam matutinam; tametsi adeo illi frequens fuerit ea, quam à teneris divitus acceperat, contemplatio, ut diu noctuque Deum cogitaverit ac divina, cœlo etiam intentus varijs semper implicatus negotijs curisque multiplicibus, pro earum, quas gessit, Dignitatum & Ecclesiarum sacris muneribus: multis sæpe lachrymis madidus, tantisque affluens cœli delicijs, ut obrui eis videretur haud semel. Nec propterea desolationibus caruit acerbis, dura passus cruciamenta illa, quæ acceptissimis sibi probandis, evahendisque ad altiora charismata permittit Deus. Tentationes expertus dæmonum, utique insignes, pro imperio etiam cum illis agebat. Conquesta forte Sanctimonialis, quod multis à terro genio technis infestaretur turbareturque animo, dum vacare spiri-

tualibus exercitationibus vellet, injunxit Nolter uti ad se mitteret nebulonem. Cum ecce scribenti, quam è suggestu Academicis dictaturus erat lectionem, sistitur cocodæmon: quem cum ille despiciatui haberet, Dei nomine jubet, ut in cubiculi angulo expectet, donec ipse ad extremum paginam ducat. Volens nolens obsecundat vassertimus, objurgatusque dein, tunc demum abscessit, cum ipsi ille imprecatu fuerat, ne feminam, quam toties molestaverat, rursus offenderet: nec porro infestare illam fuit ausus in posterum.

58 Humilitati addictus latere sibi constituerat à juventute, declinareque honores studijs suis & laboribus pares: queis & si non se subduxerit, Dei ut voluntati faceret satis, imò majores quotidie inierit ascensus, divinâ illi Providentiâ viam sternente, ut ad culmen veniret Archiepiscopatus Mexicæ; se tamen hæc inter nihilli faciebat, in delicijs habens sordidis in Valetudinario ministrare pauperibus, flocci nobilitatem, divitias, plausus, terrena quæque faciens, & quæ à Dei beneficentia acceperat dona insigniora ita tege-
re studens, ut vel ipsos conjunctos laterent & familiares, à quibus cū omnibus caveret, vix assequi potuit, ut non multa observarent & nossent. Patriam ingressus Archiepiscopatus dignitate functurus, tota quamvis illa in lætitiâ effusa ubique visa fuerit gestire,

tripudiare, Io que repetere; falsus ipse tamen ingenuè est, seu Confessario, seu amicissimo, nullum se isthæc movisse cogitantem, dum curru veheretur, nobilibus popularibusque stipatus, iustare mortem, funus non longè abesse.

59 Ut est autem animi demissioni mansuetudo conjuncta, tam fuit ille miti lenique conditione, ut etiam corrigens pro munere fontes, objurgationem, quantum fieri posset, condiderit, haberetque in ulu, quod frequenter in ore oportere absque strepitu agere in his, ut propterea cunctis fuerit acceptus, non Mexici tantum, sed Angelopoli, & Goaxacæ, qua de sede promotum omnes ad unum ejulantibus, lachrymis, & id genus alijs doloris signis sunt profecturi.

60 Primas in hisce omnibus charitas in Deum Proximosque tenebat. Quanto in Deum amore flagraret, conijci inde potest, quod ejusdem deditus contemplationi, unum illum in omnibus cogitaret & coram haberet, cui unice placere studebat. In Proximos egregium fovebat amorem, eorumdem subinde commodis studens, miserijsque sublevandis intentus. In elemosynas adeo erat effusus, dici ut illæ vix possint. Non dum in Episcopatum assumptus, quandoque pauperi pro elemosyna ipsum in domum revertentem convenienti, clericale pallium demissit, habebatque in ore unam satis sibi esse tunicam. Quod

que sanctum haberet, furto haud absumile esse Episcopum aut Clericum superflua non pauperibus erogare, nec necessarijs sibi pararebat. In publicis præcipuè calamitatibus ejusdem charitas & misericordia resplenduit.

61 Anno 1629 aquarum eluvionem patiente Mexico, multos ille egenos in suburbijs latentes, vixque non immeritos, delatâ alimoniam curavit; cumque conquiriti gratia paais pro Virginibus Carmelitis, quibus tunc præerat, quotidie in Oppidum tria miliaria ab Urbe distantem, Tacubaya, pergeret, pauperes circum illud degentes, & in itinere manere operientes, ipsum ut conspiciebantur, in clamabant, gestiebantque gratulantes sibi de pane, quem libentissime largiebatur. Archidiaconus eo tempore Angelopolitanus, quo favissima pestis Andos invasit, quos publica Xenodochia capiebat minime, amplam ipse domum in Valetudinarium erexit, ubi correptos huc plurimos adduxit, suisque sumptibus cibos, pharmaca, Medicos, Chirurgos, & quidquid pro illorum opus erat valetudine & auxilio, illis supeditavit. Episcopus, Archiepiscopusque inauguratus, multo effusus liberalitati in egentes indulgit, Ecclesiasticos redditus in eos conferens & Dei cultum, quibus cōsanguineos suos ditescere nunquam permisit.

62 Maritandis puellis dotes multis exhibuit, viduis, alijsque clam